DISPUTATIO MEDICA

DE

CYNANCHE LARYNGEA.

AUCTORE FREDERICO DAWES.

Duae potissimum causae impulerunt, ut *Cynanchen Laryngeam* argumento seligerem, de quo legi aliquid ad artem Apollinarem conscribere imperanti obsecutus, pauca disputem; nimirum, haec valetudo tam incitata saevire, et in tantum spiritum impedire consuevit, ut persaepe intra paucas horas, arte frustra renitente, jugulet: necdum, quod scio, quivis e summos medicinae honores ambientibus, de ea disseruit. Antiqui minime eam nescivisse videntur; pa-

ter enim medicinae venerandus haec habet verba: "Anginae horrendissimae sunt, et ci-"tissime occidunt, quae neque in faucibus "quicquam conspicuum faciunt, neque in cer-"vice, verum plurimum dolorem exhibent, et "erecta cervice spirationem inducunt. Hac "enim eodem die suffocant, secundo item, ac "tertio, ac quarto *." Permulti quoque ex recentioribus quaedam de eadem literis mandarunt; tantuli equidem, ut solum non penitus siluisse videantur. Vir ille perceleber, VASHINGTONUS, hoc morbo periisse fertur; qui nuper etiam JOSEPHINAM Galliae Imperatricem, cita morte multavit. BAILLEIUS nuper studia medicorum huc convertit, editis tribus exemplis. Omnes ex his aegris succubuerunt, duo eorum medici praeclari. Facile autem sibi FARRUS palmam praeripit, qui nova luce malum propositum illustravit. Huc accedit exemplum ejus luculentum a PERCIVALLO Eblanensi prolatum. His fontibus usus, iisque, quae usu ipse didici, inter quindecim aegros curandos, innixus, quaeque de hoc Anginae genere memoria

* Hippocratis Praenotiones, xxiii, 345.

dignissima proponere conatus sum. Qui paludes Cantabrigiensis accolunt, haud raro eo corripiuntur; nec loci proprietas aliqua, quantum comperire potui, hos aliis procliviores reddit; caetera enim Anginae genera nequaquam crebra grassantur; nec mihimet, etsi plures annos ibi medicinam fecerim, unicum *Angina Tracheali* graviter aut clare implicitum testari aut novisse contigit. Quidam equidem *Laryngeam* non nisi Trachealem propria forma donatam, esse existimant; quibus omni ex parte assentiri nequeo; quanquam enim parum sede invicem distent, notas minime easdem aut inter se consimiles exhibent. Haec infantes tenellos, illa adultos et senes, adoriri consuevit. Nobis igitur *Angina Laryngea* sui esse generis videtur; quam ita definire volui: " *Cynanche*, vorandi " difficultas dolore stipata; vox initio rauca, " dein acuta aut pene nulla; spiritus tardus et " difficilis; sibilus inter inspirandum; fauces " raro tumidae aut rubrae, sine tussi aut spu- " to."

DE SIGNIS.

Hic morbus modo ipse ab initio membranam *mucosam* primus afficit; modo alii cuivis membranae ejus malo accedit; modo quadam cum alia inflammatione membranae intimae fistularum animae et cibi sociatur. Hinc docemur, quanti intersit cognoscere, quoties hae partes laborent, vocis necne instrumentum, *larynx* nimirum, mali sit particeps. Ellerus quinque exemplis hujus malis memoratis, quorum, uni *Dysenteriae* accessit; secundo, *Variolae;* tertio, Peripneumoniae; quarto, Febri Malignae *Catarrhali* absque *exanthematis;* quinto vero, nulli alii valetudini junctum per se tentavit, noctu et sub dio canendo et saltando illatum, dicit: "Angina Laryngis idiopathica rarius occurrit." Longe aliud me usu comprobasse fateor; vidi enim tanto plures hac *idiopathica*, id est, non alio morbo superveniente, quam aliis et prioribus nixa, plexos, quanto numerus 13 exsuperat

2. Quaedam, quae *Typho* febricitaverat, jam convalescens in hanc incidit; una erat inter aegras in Valetudinario Regio Edinensi curatas; nec febre urgente, fauces animaeve fistulae non integerrimae Anginaeque expertes visae sunt; quae demum vero accedens eam novem horis post enecuit, quam notae graviores prodierint. Duos cognovi ea aegrotare, quorum uni *Scarlatinam Anginosam* abeuntem, alteri *Anginam Tonsillarem*, excepit. Aeger, cujus PERCIVALLUS meminit, *Catarrho* simul laboravit.

Hic morbus per se urgens, id est, *idiopathicus*, incipit ex angustiae et molestiae sensu circa *laryngem;* qui primo tantulus est, ut minimi aestimetur; at postea eo increscit, ut facultas devorandi impediatur. Omnes, quos meum curare fuit, angorem, qui cibi cursum prohibet ad partem, ubi *pharynx* in gulam desinit, retulerunt. Verisimile est, si alimenti fistula non inflammatur, hunc potius faucium anticae et summae parti insidere; partes enim inflammatae inter devorandum moventur, ideoque irritantur. Raro larynx acute dolet; sub-

inde sane torquet dolor ex improviso, et subito abiturus. Febris adest, et initio levior esse apparet, quam quae inflammatione urgente enasci posse videatur. Vox rauca editur et gravis; dein acuitur; aut imbecilla susurrum refert, peneve deletur. Quod tamen perpetuum non est; si enim musculi *arytaenoidei spasmo* rigeant, aut inflammentur, vox ab initio languere potest. Spiritus trahitur quasi cum sibilo, potius quam sono Anginae *Trachealis* proprio; quique animae fistulam coarctari arguit. Hunc sanus nitendo imitari nequit. Malis ingravescentibus, aeger difficulter et tardius spirare coepit; inter anhelandum luctatur, et gravia edit molimina, ut plus aëris accipiat. Vultus pallet; oculi prominent; mens anxia futuri est pavida, et sibi discriminis instantis conscia. Fauces inspectae notas non sibi evidentes praeferunt, unde pateat malorum ratio. Amygdalae partesque his vicinae raro praeter naturam rubent et tument. Quoties autem rubescere comperiuntur, et simul parum tumidae, uvula latice, in ejus cavernas intus effuso, intumuit. Amygdalis integris, *epiglottis* interdum inflammatio-

nis exhibuit signa; haec porro subinde ad linguam spargitur; cujus facies inferior praesertim tumore et rubore laborat. Longe saepius autem sana superest, facile huc illuc movetur, osque citra dolorem et incommodum hiat. Sordes ista candida et crassa, qua lingua Angina *Tonsillari* aegrotis velatur, et iisdem os salivae plenum, quantum usu comprobavi, hic desunt. Tussis fere nulla vexat; sed *epiglottis* officio solito exequendo minus habilis facit, ut aliquantum potus ingurgitati *glottidem* subinde petat; unde concitatur tussis pene strangulatura. Ubi aeger extussire nititur, stridor quasi edi fertur. Nihil pene expuitur, ubi homo pituitam exscreare conatur. Dignum notatu est, musculos huic officio dicatos, aegerrime ad agendum excitari. Ni opituletur ars medica, increscunt aerumnae quam citissime: pupillae patulae luci non obsequuntur; contorquent summa difficultas vorandi, et inter ingerendum dolor. Nonnullis impedimentum alienum cibi fistulae inhaerere videtur: aliis sibi periisse vorandi facultatem persuadetur; quo fit, ut omnino ingurgitare nolint. Si vero bibendum

sit, non raro potus acceptus per nares redit. Febris intenditur ; arteriae saliunt valide, crebro, nonnunquam ut nervi musici intrementes, digitum impositum feriunt. Sanguis icta vena missus tunicam inflammationis propriam habet ; initio tamen minus evidentem. Avidissimus est aeger aurae frigidae et purioris ; et perflatum oportet servare patulis fenestris et portis. Demum, summa cutis gelido sudore madet ; arteriae moventur languide, celerrime, nec paribus intervallis. Vires dilabuntur ; delirat et stupet infelix, morte exoptanda liberandus.

Hic morbus interdum paucis horis finitur, modo aliquot dies permanet ; enecare potest, sede mutanda, id quod *metastasis* vocatur ; aut *Phthisi* inferenda, quae *Phthisis Laryngea* non inepte nominatur ; vel viribus febre diutina contritis, vel demum spiritu impediendo. Meum fuit inter medicinam faciendam, hanc inflammationem ad pulmonem translatam semel testari ; unde latex et pituita intus profusa hominem cito strangularunt. Hippocrates de hoc eventu plane scripsit ; ait enim, " Quicunque Anginam effu-

"giunt his ad pulmonem vertitur, et in septem "diebus moriuntur; si vero has effugerint, sup-"purati fiunt *."

Phthisis Laryngea ea est, quae morbo proposito supervenit, aut ob abscessum genitum, aut membranam intimam animae fistularum exulceratam: eique corpus struma imbutum potissimum favet. PERCEVALLUS, qui exemplum scriptis mandavit, exitum lethalem ad febrem pure confecto, irritamento scilicet gravi accensam, retulit. Quintuplici ratione aeger strangulari potest:

I. Glottide nimirum *spasmo* coarctata;

II. Abscessu;

III. Membrana intima vasis ejus turgentibus crassiore;

IV. Sero subter eadem effuso;

V. Denique, facie ejus interiore lympha obducta.

Rarius membranis *mucosis* contingit, ut inflammatae aut serum aut lympham excernant; nec alienum videtur paucis hanc rem inquirere.

* Sectio v, Aphor. x.

Bichatus serum intus profusum ad fabricam membranae *laryngis* propriam referre conatur, cujus verba ipsissima dedi. "Dans
" toutes ces parties, la membrane muqueuse
" offre une couleur rose pale, qui la distingue
" de celle de la bouche, dont elle est la suite,
" et qui est plus rouge, dans le plus grand
" nombre des sujets au moins; car rien n'est
" plus variable que les nuances des surfaces
" muqueuses. La densité de celle-ci est assez
" grande: elle la doit au niveau des car-
" tilages, au perichondre avec lequel elle
" s'unit, ce qui en ces endroits en fait une
" membrane fibro-muqueuse, moins prononcée
" cependant que la pituitaire. Ailleurs elle
" est lâche, moins dense, plus mince. Elle est
" sensiblement percée de plusieurs trous sur la
" surface laryngée de l'epiglotte; ces trous
" paroissent être des orifices de conduits ex-
" creteurs. Les glandes muqueuses sont ap-
" parentes en divers points au-dessous d'elle,
" independamment des corps particuliers dont
" nous allons parler. Les papilles y sont peu
" marquées; on les y cherche même presque

" inutilement dans le plus grand nombre des " sujets. A-t-elle par-tout exactement la même " organisation? je l'ignore; mais ce qu'il y a " de certain, c'est que sa portion qui forme " l'ouverture superieure du larynx, est sou- " mise à une éspece particuliere d'engorge- " ment sereux, qui ne se manifeste en aucun " autre endroit, et qui epaississant beaucoup " ses parois, suffoque souvent en tres-peu de " temps les malades. Les auteurs ont indique " les symptomes de cette angine particuliere; " mais ils ne connoissent pas l'état anatomique " qui presentent alors les parties *." Quod satis est habile rationi reddendae, cur lympha excerneretur. Oportet tamen ut aspera arteria eadem donetur fabrica; haec enim fistula, haud secus atque *larynx*, crassissima lympha intus saepe obducitur, membranae sibi speciem praeferente, ea scilicet Angina laborans, quae *Trachealis* vocatur. Fateri sane cogimur, naturam leges ab hoc praeclaro viro observatas ludere; qui plane aberrare et hallucinari videtur, fabricam istam *fibro-mucosam* inutiliter fingens; FAR-

* Anatomie Descriptive, tome seconde, page 399.

RUS enim *uvulam* hydrope tumidam notavit, et satis innotuit, quotidie membranam cavernosam sero tumefieri, propter *inflammationem erythemoideam* praegressam.

DE DIAGNOSI.

MORBUS, quem prosequor, eo Anginam *Tonsillarem*, *Pharyngeam*, *Trachealem*, et Inflammationem *epiglottidis* simulat, ut vel peritus decipiatur. Nosse equidem juvat, aliquam ex his cum eo sociari posse. Quod si noverimus quousque distet ille ab harum singulis, dijudicare non erit difficile, urgente morbo multiplici.

Anginam *Tonsillarem* denunciant amygdalae, nec raro partes vicinae tumefactae saturrimoque rubore florentes ; dolor aurium, inflammatione scilicet patente ; difficultas linguae extrudendae, orisque patefaciendae. Huc accedit, quod lingua sorde crassa et alba foedatur ; os saliva viscida

superfluit; cibus aegre, tarde nec sine dolore voratur, spiritu simul pene illaeso. Quem premit Angina *Laryngea*, huic raro amygdalae aut partes molles adjectae tument, etsi aliquantum rubeant; os et lingua ex facili, uti sano cuivis, moventur, nisi profecto haec mali sit particeps: vox editur initio rauca et gravior, quam fert natura; dein acuta, exilis aut pene nulla. Spiritus trahitur et emittitur alte, raro et difficulter; inter accipiendam animam aeger sibilat; vorat non citra laborem et dolorem insignes; angustatur enim cibi fistula, ubi gula incipit.

Angina *Pharyngea* iisdem notis praedicatur, iis equidem exceptis, quae ex larynge ipsa inflammata proprie nascuntur, quibusque fere unicis periculum continetur.

Quod ad inflammationem *epiglottidis*, exempla ejus, quae Everardus Home Eques literis mandavit, satis eam *phlegmonicam* esse arguunt. Signa parum ab *Anginae Tonsillaris* propriis discrepant, nisi quod inter potandum pars liquoris

multo saepius et facilius aberrans in animae fistulam defertur. Ea, quae supra memoravimus, de Angina *Tonsillari*, ad dijudicandum satis operae conferent.

Quo, Angina *Laryngea* an *Trachealis* plectat, rite dignoscamus, quae sit aetas, in animo habendum. Haec enim infantes, illa adultos, nunquam impuberes, male habet: quod tamen ita propono, ut non ea Anginae *Laryngeae* exempla amplecter, ubi naturis acribus, venenis, potuve fervido inter vorandum membranae *mucosae* illatis enascitur. Nulla certe aetas tali immunis est malo.

Angina *Tracheali* urgente, vultus rubescit et turget; tussis vexat stridens; interdum inter tussiendum expuitur humor puri consimilis, aut membrana spuria, quae vocatur: quantumcunque facultas spirandi impediatur, aeger satis facile devorat, nec vox perit.

Cui subest Angina *Laryngea*, ei vultus pallescit et collabitur; oculi prominent; neque tus-

sit nec expuit; non potest moliendo pituitam excernere; cibus et potus nunquam sine dolore magno ingurgitantur, et vox rauca aut acuta et imbecilla est; imo vero nonnunquam faucibus haeret.

DE PROGNOSI.

In praecipiti semper versatur, qui pituitam exscreare nequit; cui autem sputum facile, is fere salvus futurus. Quantum inter curandum usu didici, quoties auxilia tempestiva et praesentia hoc expeditum reddunt, salus certa citaque venit. Optime scripsit Hippocrates, "In Anginis, qui non brevi concocta expuant, "perniciose se habent."

DE CAUSIS.

Quo aliquis sit imbecillior, eo fere huic morbo subeundo opportunior existit. Qui enim

jam convalescere coeperint, morbos acutos passi, prae caeteris in eum incidere consueverunt.

Eundem excitare possunt inflammatio membranae *mucosae* praegressa, praesertim si haec *erysipelatosa* sit, acria venena, aut potus calidiores ingesti. Coelum vero humidum et frigidum inter causas praepollet; aut frigus humori junctum, undecunque proveniat. Quidam, cujus jam memini, salute recepta post *Anginam Tonsillarem*, in flumen se conjicit, haud vestitu nudatus, ad infantem submersum morti eripiendum, postridie vesperi accessit Angina *Laryngea.* Alia, quae aegrotaverat Scarlatina *Anginosa* inter revalescendum in eam incidit; quam ipsa lectulo noctu relicto tribuit, quo sororibus Scarlatina implicitis potum ministret. Duae porro, quae hujus exequiis interfuerant, ejusdem mali participes factae sunt, frigori scilicet objectae; non enim pestilens esse videtur morbus, quem prosequor; at sepulta est emortua, Jove imbribus et frigore malo, et in loco humido. Unus ex iis, quos meum curare fuit,

pridie ejus diei, quo laborare coeperit, agros permeavit, inter aucupandum, unde pedes frigori et humori patuere.

QUAE, INCISO CADAVERE, PATEFIANT.

Fistula animae patefacta, membrana intima notas inflammationis praegressae sibi praefert; nimirum, crassior est, quam ex consuetudine, vasis ejus tumefactis. Serum subter eadem, maximeque ubi *glottis* incipit, intus profundi reperitur. Nec ibi unice, sed inde passim usque ad *pharyngem* ipsamque gulam idem conspicitur. Cum *glottis* vehementer inflammantur, lympha interdum excernitur; aspera arteria parum affecta. Modo abscessus aut gangraena prodit.

Ellerus exemplum meminit inflammationis ad musculos vicinos pertinentis. Haecce habet verba: "Statim pectus et collum ad detegen-
"dum laryngem cum aspera arteria, incidere

"curavi, ubi mox asperae arteriae superior por-
"tio inflammationis signa monstrabat, intensior
"autem erat rubedo in laryngis musculis et
"membranis, praecipue in illis quae crycoi-
"deam obtegebant, sed major inflammatoriae
"tumoris gradus apparebat in binis arytenoideis
"cartaliginibus epiglottide, musculis hyoidei
"ossis et linguae radice, adeo ut rima glottidis
"compressa penitus et respiratio intercepta
"aegrum suffocassent *."

DE SIGNORUM RATIONE.

Difficultas expuendi, quae praesertim hunc morbum insignit, non pituita suppressa, sed musculis *spasmo* obrigentibus, vel interdum inflammatis nititur. Farrus inter corpus introspiciendum, pituitam quam minime mutatum comperit. Saepenumero cognovi, venis ineunte malo vacuefactis, rigorem fibrarum motricium resolutum, et sputum exinde cito facile futu-

* Eller. de Cogn. et Curand. Morb. sect. 7.

rum. Oculi prominere videntur, eo quod parum abest quin homo stranguletur. Nec vero in aprico patet vultus pallentis ratio; qui scilicet, impedito spiritu, eoque sanguine aegrius per pulmonem transeunte, purpurascere et turgere consuevit. Nihil vero ad medicinam pertinens perpetuam habet legem; *Asthmate* enim implicitis nonnunquam facies pallida extenuatur. Verisimile est sanguinem in pulmone tardius, nec, uti sano homine, penitus refectum, facere ut arteriae languide saliant, neque solita mole impleantur; ideoque pallescat vultus. Vix judicare licet sanguinem cursu multo lentiori quam e natura per pulmones fluere: quippe qui, Angina *Laryngea* plectente, fabricam pene illaesi sunt. Quinetiam, sanguis in pulmone tardatus vultum nunquam non tumefacit. Quibus perspectis, statuendum est sanguinem in pulmone minus laete rubescere, et pigrius mutari, propter supremam partem animae canalis coarctatam, ideoque auram vitalem aegre et parce ineuntem. Quo fit ut cor laevum et arteriae non solum copiam sanguinis minorem, sed ipsum minus fibris eorum incitandis ido-

neum, accipiant. Si difficile videatur, cur vultus palleat exponere, longe atriori caligine versatur tussis nullius ratio. Fierine potest, ut nervi exiles, qui membranae intimae *laryngis* insperguntur, vasis turgentibus oppressi, torpeant?

DE CAUSA CONTINENTE.

Angina, de qua agimus, inflammatione membranae *mucosae*, fibras motrices vicinas *spasmo* implicante, et interdum latius patente, continetur. Omnia, quae supra disserui, huc plane spectant; nec utile aut novam lucem illaturum existimo, hanc rei propositae partem longo sermone prosequi.

DE CURATIONE.

Non minoris interest, quo aegri sanentur, irritamenta et quaeque nocitura evitare et

subducere, quam remedia et omnia adjutura admovere. Quod praeceptum ad morbum, de quo agimus, optimo jure pertinet. Oportet igitur, ut fibrae motrices, quae loquendo et cibo devorando inserviunt, quam rarissime moliantur, quantumque fieri possit, conquiescant. Hunc in finem, ne quidem sermo ultro citroque habendus est aegro cum familiaribus: cavendum porro, ne crebriorem potum hauriat, aut bibere frequentius nitatur. Quo scilicet rarius et parcius bibatur, modo sitis restinguatur, eo in melius omnia converti solent. In alvum infundendi liquores mulcendo et emolliendo idonei, quo sitis consopiatur. Nequaquam fauces gargarizare juvat; quippe quod auxilii genus faucium partiumque vicinarum musculos pene omnes movendo, gravi fit irritamento. Quaecunque medicamenta ingerantur, concreta esse, et quam minima mole instrui debebunt. Quibus servatis, salutem reducem potissimum niti, usu comprobavi, maximeque ex iis, quae exemplum infra memorandum ostendit. Quaedam matrona hoc morbo plexa, quatuor diebus, meipso et alio medico curantibus,

multa et valentissima remedia acceperat: sanguis nimirum bis vena incisa detractus fuerat; fauces exteriores emplastro *meloës vesicatorii* exulceratae; alvus medicamento solicitata; os faucesque gargarizata; eadem porro cum spiritu vaporem aceto aqua fervida misto oriundum traxerat; et ad sudorem eliciendum praeparata ex *antimonio* et alia ejusmodi sumserat. Quae omnia nil valuere, imo vero signa mala potius increvere. Aegra tandem de se desperavit, et quam minime molestam mortem, ut videbatur ipsi, instantem reddere statuit; quo permota consilio medicamenta et potum omnigenum respuit. Sex inde horis exactis, siti cruciata, aliquantulum potus expetevit; nec valde difficulter inhausit: quantum fieri poterat, a bibendo abstinuit, vel torquente siti acerrima. Biduo pituitam, haud sane citra nisum vehementem, expuere coepit: renata est spirandi et vorandi facultas; et demum valetudinem integerrimam recepit, medicamentis non usu, nisi quae alvo tardae solvendae accommodarentur. Nullus dubito, quin arteriae *laryngis* huic aegrae lympham excreverint; vox enim ei etiam nunc

exilis et rauca prodit, sex annis jam elapsis. Aeger, quem PERCIVALLUS curavit, oratione crebra concitatus in pejus irruit, ubi jam pene ad sanitatem reductus erat, quem valde suspicor exinde periisse.

De sanguinis detractione et aspera arteria secanda.—Si medicus auxilio venit, morbo jam incipiente, mittere sanguinem, percussa vena, auxilio erit praesenti et utili. Saepenumero unciis XII aut XVI tempestive elicitis omnia signa cedere comperi, rigorem scilicet musculorum resolutum, et facultatem vorandi fere recidivam. Amplius uncias XXX sanguinis, ineunte morbo, detraxi, aegro non inde tuto futuro, vi scilicet expuendi non restituta; dein, bihorio exacto, iterum venas deplere, parcius equidem quam antea, solitus sum, optimoque eventu secuturo. Quanquam vero hoc remedium mature adhibitum caeteris praepollet, et unicum opem pollicetur, lugentes fateri cogimur morbum propositum vel inter principia aliquando ei pertinacem obniti. Malis autem inveteratis, detractio sanguinis remedio est an-

cipiti, neque periculi experti. Quando et quousque venas vacuefacere oporteat, lege perpetua regere nequimus. Inquirendum est enim, qualis edatur vox, quamdiu vultus palluerit, et difficultas spirandi jam perstiterit; quae sint vires; qualiter arteriae saliant, fortiter an imbecille; et quae sunt his similia. Si, his perspectis, vires eo dilabi comperiantur, ut venam brachii secare non liceat, medici erit, aspera arteria incisa, efficere ut copia amplior aurae vitalis pulmonem iniat. Si dubium videatur, utrum ex his auxiliis experiremur, tutius et certius fore judico animae fistulam quam venam secare. Si enim prius frustra depleantur venae, quam asperae arteriae incidatur, verisimile est hoc quoque nihil adjuturum, peritissimo artifice etiam curante; natura enim, viribus lapsis, renitendi impotens fit. Quod FARRUS exemplo edito luculenter edocuit *. Opem hic plane attulit

* "His powers were prostrate, and general bleeding could not be re-"peated. At midnight, the operation of bronchotomy seemed to be the "only resource; and soon after one o'clock, I decided on its employment. "The dyspnoea was much relieved by the operation. In the afternoon of "the next day he was evidently sinking, and expired at six o'clock in the "evening." Medico-Chirurgical Transactions, vol. iii, p. 87-8.

sectio arteriae asperae; spiritus enim expeditior factus est, et aeger aliquas horas supervixit. Cadavere secto, partes affectae nullum vitium, quod ad fabricam sibi praetulere, unde mortem exoriri potuisse videretur. Constat, ut opinor, vires contritas fatum huic aegro adscivisse: hinc porro docemur mature facto opus esse, quoties signa asperam arteriam incidi postulant. Exulcerare cutem emplastro *meloës vesicatorii*, et venas partis hirudinibus aut aliunde exinanire, quantum usu didicimus, parum operae confert ad impetum hujus mali debellandum. Praestat igitur haec auxilia omittere, quam iis utendo et confitendo perperam expectare dum inveteraverint mala.

De vomitus moventibus.—Quum demum venae satis vacuefactae parum juverint, necdum instat metus ne homo strangületur, vomitu saepius ventriculum solicitare, ut CHEYNIUS praecepit, Angina *Tracheali* urgente, admodum ut conjicio proderit. Lugeo equidem quod mihi inter medicinam faciendam hoc genus auxilii experiri non contigit, eoque magis, cum ejus ope CHEY-

NIUS plures Angina Tracheali implicitos morti eripuisse videtur. Quos vomitus, non solum efficiendo ut membrana spuria expuatur, verum etiam vasa extima resolvendo, eoque secernenda et excernenda, praecipueque sudorem, eliciendo, ad salutem reducit. Quoniam igitur vomitus perinsigni vi pollet solvendi et laxandi, et incitationis, qua continetur inflammatio, sedandae, summum fructum pollicetur: et praesertim Angina Laryngea tentatis movendus est, siquidem magis quam dejectio, arterias secernendo et exhalando dicatas resolvit.

De dejectione.—Neque vero alvus non purganda et ducenda. Medicamento ingesto, quod dejectionem moliatur, protinus liquor idoneus per alvum infundi debebit, quo facilius illud intestina vacuefaciat, neque crebrius idem vorare opus sit. Si alvi ductione accedat medicamentum vomitui movendo habile, fieri potest ut alvi purgantia non postulentur. Quod si haec danda sint, submurias hydrargyri copia perexigua *tartritis* antimonii mistum concedere praestabit.

De remediis parti imponendis.—Quum ratio virium, aetatis, et quae sunt hujusmodi, venam brachii non amplius feriri, nec plus materiae toti corpori demi, sinunt, utile esse solet venas partis hirudinibus et cucurbitulis cum ferro impositis deplere, et summam cutem quam proxime partem dolentem emplastro meloës vesicatorii exulcerare. Quod praeceptum perpetuum non est; neque ad morbum, de quo agitur, pertinere videtur. Ipse parum aut nihil ista remedia opitulata esse, cognovi; nec alio eventu Farrus et Percivallus iisdem usi sunt. Quod etsi ita sit, adhibenda esse tamen existimo: non enim perniciem intulerunt, et quamvis nondum profecerint, quod scio, nonnunquam propitura verisimile est. Dignum est porro notatu, aegrum et ejus familiares eo facilius animae fistulam secari perpessuros, si id opus sit ad vitam servandam, ubi caetera remedia, quae aliquid opis polliceri viderentur, acriter et perperam ministrata fuerint. *Cataplasma* e sinape recte prius admovebitur, quam *emplastrum meloës* vesicatorii. Tepidario, morbo ineunte, utendum, si liceat; sin minus cutis li-

quore tepido fovenda. Ter effeci ut vapor aqua fervida *aethere sulphurico* mista exortus cum anima acciperetur; qui profecit, ni fallor: aegri enim se inde expeditos professi sunt. Non sane hoc remedio, inveterato jam morbo, innitendum puto. Ubi sanguis mittendus est, prius id fieri juvabit, quam vapor supra dictus hauriatur; quippe qui vasa secernentia distenta concitando auxiliatur. Praestabit igitur ut haec antea exinaniantur.

De sudoris moventibus.—Corpore jam satis depleto, praeparata ex antimonio, aqua *acetitis ammoniae*, aliaque sudori movendo apta, concedenda. Cum vero aeger rarius cubare potest, vix sudorem elicient: sin autem nauseam cieant, aliquid proficient; eoque citius aeger insudabit, si supinum se habere sustineat.

De usu hydrargyri.—Ob actionem eam propriam, qua hoc metallum membranas *mucosas* affici, harum inflammationem extinguere potest, si ita ministretur ut corpus rite et penitus imbuat. Cum vero non id molitur, vi sedatrice,

nonne metuendum ne, si ei fidatur, inflammatio prius ingravescat, quam actio propria, de qua dixi, prodierit? Non mihi in animo est rationibus propositis ea debellare, quae usus comprobaverit. Illud solum observari volo, non hydrargyro unico innitendum esse; at simul deplendum. Vix dubitandum quin hoc remedium rite et manu perita ingestum non minus *Angina Laryngea*, quam Dysenteria et *Angina Tracheali* aegrotos adjuturum sit.

De opio.—Opium ipse nondum dedi. Bailleius existimat sanguinem large missum, dein amplum opii modum ingestum, impetum hujus morbi fere resolutura: quibus non valentibus, animae canalem, triginta horis exactis, incidi jubet. Legem vero temporis statuere alienum est; modo quinque horis, modo non nisi quinque diebus elapsis, id factu opus est. Opium, me judice, non imperito utendum: ubi jam, venis vacuefactis, notae graviores cesserint, hoc medicamentum, consopiendo, quiete conciliranda, et spasmo solvendo, prodesse potest. Ancipiti auxilio est, sanguine aut non prius aut

inutiliter vel non satis detracto. Morbo inveterascente, laesurum videtur, prae sedandi facultate, qua praeditum est. Si Angina, quam prosequor, notas morbi *spasmodici* graviores sibi adsciscat, opio aliisque spasmi solventibus uti oportebit.

FINIS.